



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

23. Dies Maii. Ruina quæ fit in occulto, præcedit ruinam quæ fit in  
manifesto. S. August. de civit. l. 14. c. 13.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

viabatur amiculum, jam blanditiis deliniebat, quasi nunquam de Dei præsentia, de scelerum fœditate, de labe conscientia, de divinis judiciis cogitasset. Descendit de solario, jubet inquiri, quæ sit illa mulier; dicunt esse Bersabeam, Uriæ uxorem. Hic novus animo tumultus, nova pugna, in qua semper vincit libido, & refert manubias, ac figit trophæa. Ante noctem evocari illam jubet, & indigno flagitio se polluit, & contaminat. Verè se ipse in sacris odibus expressit, *vespere decidat, & arescat*. Ubi, ô David est illa vigilantia, & pii animi cura, qua in tui custodiam intentus, ita Deum alloquebaris: (a) *Averte oculos meos ne videant vanitatem?* Oculi tui tibi tuè laquei, illis captus es. Ubi illud heroicum propositum. (b) *Dixi custodiam vias meas?* Turpiter nimis devias à via vitæ. Hæc nos flosculi evanidi, fragiles, ephemeri, qui manè floremus, in meridie languemus, vesperi aremus. Sic David florebat oriente lucifero, exaruit veniente Hespero: manè vas ad gloriam, vesperi vas ad contumeliam: manè velut Seraphinus in cælo, vesperi velut Scarabæus in cæno. Agnosce hîc, ô homo caducam animi imbecillitatem, innatam voluntati volubilitatem, & nunquam satis deplorandam fragilitatem. Denique insidiat illud animo certum, tanquam Sybillæ folium;

*Est hominum status per florem significatus:  
Ut vere perit, sic homo pulvis erit.*

### 23. DIES MAIL.

Ruina quæ fit in occulto, præcedit ruina quæ fit in manifesto. S. August. de civit. l. 14. c. 13.

(a) Psal. 118. (b) Psal. 118.



Ignorantia I.  
hominis in  
cognoscen-  
dis peccatis.

**F**uit multis ad ruinam, ignoras-  
se causam ruinæ. Nec illa est  
unquam manifesta in opere,  
nisi præcesserit occulta in pe-  
ctore. Exterior ruina interiorem non facit, sed pro-  
dit. Hujus verò sæpè est origo peccati, unde omnis  
ruina, ignorantia. Illa quam sit crassa, accipe ex Davi-  
de, qui cum divinitus esset oppidò illuminatus, tamen  
cum mentis aciem in se converteret, ad eò illà, aliàs  
perspicacissimà caligabat, ut exclamet: (a) *Delicta  
quis intelligit?* Quis est oculis tam perspicax ut videat,  
quis tam Argus mente ut inspiciat, quis tam lynceus  
animo, ut intelligat, quibus Deum offendat delicta,  
quibus sibi noceat damna, quibus proximo officiat,  
prava exempla? Quis quotidianas suas prolapsiones  
numeret, cum sint propè innumeræ: Quis novit dæ-  
monis astus, peccatoris motus, conscientia labes,  
mundi fraudes, animi sordes? Scientes, ne scientes  
contrahimus sordes, nec excutimus: parum corrobo-  
rati sumus ad evertendas dæmonis machinas, in vi-  
tium proci, capi faciles, nec vinci difficiles, blandi-  
mentis voluptatum illecti, quæ fieri potest, ut non se-  
quatur ruina, nisi perpetua adhibeatur cautela?

II. Sol fons luminis, & diei est Pater, sed nubibus  
obnubitur, eclipsim patitur; Luna est pulchra, sed  
pulchritudine sua habet nævos, prodit maculas: stel-  
læ fulgent, sed nebulis obumbrantur: candidum  
ebur, sed verustate nigrescit; speculum suo lavore  
clarissimum, sed halitu inficitur. Sic anima Dei gra-  
tiâ venusta, divinâ luce conspicua, veste nuptiali  
instar sponsæ adornata, labem mox concipit, quæ  
illam

Bb 4

(a) *Psal. 19. 23.*



illam inficit, hinc decor inficit, & illa inerit, nisi ad eum se convertat, qui solus reficit. Hic tamen velut in freto scopulum declina: dum cecidisti: ut erigat animam, cave despondere animum, sed illico Deo ope, & tuâ operâ totum te erige. Non cadas more elephantorum, qui dum corpus succisis arboribus commiserunt ad nocturnum somnum capiendum strati, & abjecti, nullo se modo erigere possunt, quod habeant membra in columnarum modum rigentia, quæ flecti, curvari nequeant. Nemo ita concidat, ut ruina sepeliatur. Flexibilis nobis est voluptas, potest post omnem nequitiam canere palinodiam, potest jam lapsa se erigere, & errata corrigere, & se, ac sua ad Deum dirigere. Si jam humi stratus, & abjectus, abjecto es animo, proximus ex exitio. Hinc enim consequitur salutis incuria, in Dei obsequio oscitantia, in piis exercitiis in diligentia, in omnibus effœminatus quidem languor.

III. Non est nisi præstantissimorum Heroum, posse dicere illud Cæsareum, *Veni, vidi, vici*, & ante initum conflictum, mereri triumphum. Nostra contentio est pertinax, quia cum hostibus pugnamus pertinacibus: ideoque opus est mora, ut potiaris palma. Nec enim est molle Christiani militis rudimentum, ut putet se statim posse donari rudi. Oportet Dei pugillem in palæstra noctes, diesque sine missione luctari, & luctando reluctari, & reluctando, necesse est tandem eluctari. Ut hoc nanciscaris, principis obsta. Quia cujuslibet rei principium, est ejusdem quasi dimidium. Cave, in negotio salutis, parva parvi facere; imò minima maximi æstima. Ruina enim quæ est in animo occulta, plerumque fit



Majus.

Tessera.

393

fit à neglectu minimorum , & inde illa tandem au-  
cta, propagata, & coroborata, pariunt ruinam ma-  
nifestam. Cuniculi, minutulum animal, in Balearicis  
olim Insulis non reperiebantur. Importavit quidam  
è continenti tantum duos : subitò numerus tantus  
excrevit, ut arbores, domos, urbes eruerint, coacti-  
que sunt (a) Baleades, opem Quiritium implorare, ad  
noxiam progeniem coërcendam. Fœcundior est  
peccati fœtura , & longè in omnem partem ad no-  
cendum funestior. Nullus mus sic arrodit, nullus  
euniculus sic effodit omnia fundamenta virtutis :  
non hic, aut ille plures educit fœtus ad animi perni-  
ciem. Peccatum verò cum peccato conjungitur, quis  
potest mente assequi quanta malorum colluvies  
consequatur? Time egò peccata magna, cave &  
parva. Time multa, time pauca, time unicum: me-  
mor illius

*Omne bonum quod habes, contaminat unica labes.*

## 24. DIES MAIL.

Quantum à vitiis recesseris, tantum vir-  
tutibus propinquabis. *Eusebius Emys-  
sen. Hom. 3. de Epiphan.*

Recessus à I.  
vitiis, est ac-  
cessus ad vir-  
tutes.

Q

Uantus es virtutis amator,  
tantus sis necesse est & vi-  
tiorosor. A vitiis remotus,  
statim virtuti es vicinus.

Accedit ad illas, dum recedis ab his. Unius tamen  
B b 5 hic

(a) *Strabo l. 3.*